

non necesse est affirmari alterum. Ideoq; à remotione unius ad positionem alterius non est consequentia necessaria, nisi ambo sint immediata.

Verbi gratiâ, non valet necessariò. Paries non est albus. E. est niger. Lapis non est cæcus. E. videt. At necessaria est illatio. Hypocrita non est verus Christianus. E. est falsus Christianus. Verus Christianus non est injustus. E. est justus. Vulgò dici solet: Contrariorum immediatorum uno negato, necessariò ponitur alterum, in eo, cui competunt, subjecto: at contrariorum mediatorum altero negato non necesse est affirmari alterum in eo, cui competunt, subjecto.

3 Quod de uno relatorum affirmatur vel negatur, non necesse est de altero affirmari, vel negari:

Ut, Pater est improbus. E. & filius. Uxor est casta. E. & maritus.

Canones de comparatis.

Mediū contingēs è loco comparatorum.

1 Quod uni parium tribuitur, etiam alteri tribuitur probabiliter.

Scilicet, hic canon loquitur de paritate probabilitatis, non rei. De hâc enim accipiendus est canon. 2. cap. anteceditul. de comparatis. Exempla canonis hujus sunt: Error fertur in cæteris, ut humanum quid. E. etiam in philosopho ferendus est. Sic Æneas à pari probat, sibi fas esse descendere ad inferos; cùm licuerit Herculi, Theseo, Orpheo. Sic si Demosthenes fuit orator, etiam Cicero.

2 Cui unum ex paribus convenit vel non convenit, ei etiam alterum convenit, vel non convenit:

Ut, Si parentes sunt amandi, sunt etiam honorandi: si virum sapientem decet incessus gravis, etiam oratio gravis: si improbus non est amandus, neque est honorandus. Alii sic efferunt canonem: *De quo unum equè probabiliū affirmatur vel negatur, de eo etiam affirmatur vel negatur alterum.*

3 De quo minus negatur, de eo multò magis negatur majus:

Ut, Dia-